



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

In tribulatione dilatasti mihi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

In tribulatione dilatasti mihi.

Tautologia est, nam idem est exaudiri & dilatari in tribulatione, sicut psal. cxvij. De tribulatione inuocauit dñm, & exaudivit me in latitudine dñs. Est autem dilatasti mihi, seu latitudo ista, hebraismus, & metaphora uel metonymia propria scripturæ, quam nos sine figura, cōsolationem dicimus, sicut contra angustiam, tristitiam, & afflictionē dicimus. Sicut enim cor & omnes sensus contrahuntur, dum fugiant & horrent tristitia, q̄ si ex omni parte urgeat malum, iam fere sit angustia & undiq; in arctum cōtractio: Ita dilatantur & distenduntur, dum ab lato malo rursus bona & iucunda conferuntur. Et sane q̄ proprie eo uerbo exprimitur natura tristitiæ & lætitiæ. Nam & in fronte & uultu toto uidemus, q̄ contrahantur tristibus, & dilatentur iucundis rebus. Ideo de impijs psal. xvij. dicitur: Et contrahentur in angustijs suis: Vnde & Apostolus Ro. ij. duo illa componit: Tribulationem, & angustiam, malum, scilicet, & fugam mali, sic tamen ut fugi non possit.

Natura lætitiæ & tristitiæ

Dilatasti me potius: q̄ dilatasti mihi dicēdum fuisse uidetur: Sed Idiotismus hebraicorum uerborum est, quod sæpius absolute ponuntur, & sui nominis accusatiuum abstractum includunt, uel in nomen suum uerbale resoluuntur: ut dilatasti mihi, id est, latitudinē fecisti mihi, fuisti dilatator meus, hoc est, cōsolationē mihi fecisti quoties inuocavi in tribulationibus meis. Et sic captata est beneuolētia, simul & eruditi infirmiores, immo, si uoles, hunc uersum, uel argumentum huius totius psalmi habere poteris, proponit enim erudire infirmos, ut inuocent deum & causam suam deo commendant, dei iusticiam laudent, cōsolationem a libi non quærant, sed certissimam & magno fructu a deo expectent, atq; id efficacissime suo proprio exemplo, se uelut iocium eis iungens, & eorum casus sibi communes faciens.

Grammatica in sacris literis,

Miserere mei, & exaudi orationem meam.

Confiteor, inquit, q̄ me exaudisti, quoties inuocavi, de quo non modo gratias ago, sed & securus sum, q̄ sicut deinceps & semper abundabunt passiones in nobis, ita semper sis nos exauditurus clamantes ad te. Qua fiducia etiā nunc tribulatus, iterum inuoco, ut iterum exaudias. Quando autem in hebræo hic uersus posterior pars est primi uersus, uoluit mea cogitatio totum hūc uersum intelligi, tanq̄ formam præscriptam infirmioribus, qua se gerent inique tribulati, & hanc particulam esse uelut præmāsum cibum, quo Propheta eos, uelut pueros, doceret, quibus uerbis uti debeant inuocaturi deum, nempe istis: Miserere mei, & exaudi orationē meam. Vt primo misericordiam dei super se & pro peccatis suis implorēt, quibus forte longe peiora meruissent, ac sic interim uindictæ oblitū, causam deo committerēt, tum exaudiri peterent. Nam iustus in principio accusator est sui: Prouer. xvij. Et placēs deo miserē primum animæ suæ: Eccles. xxx. ideo primum pro se gratiam implorat, tum demum a pœna liberari petit. Verum hæc non ausim asserere.

Modus orandi.

Proinde esto, q̄ sit in noua tribulatione, noua inuocatio, in qua nihilominus id quod dixi obseruandum est, ut non tam pro pœna q̄ peccato solliciti simus. Primum, misericordiam dei impetrātes, ne forte more stultorum peruerissimo, nostram culpam quæ pœnam meruit oblitū, alienam culpam, quæ nostram pœnam operatur, solā uideamus, trabem in oculo nostro relinquētes, & festucam

Tribulationis cā deprecāda est primo, nō tribulatio.